



1744.4. 25  
PER ANTIQVÆ VNIVERSITATIS ERFORDIENSIS  
R E C T O R

ET  
FACVLTATIS IVRIDICÆ  
D E C A N V S,  
CONR. WILHELMVS  
STRECKER, JCTVS,

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS ELE:  
CTORIS MOGVNTINI CONSILIARIVS REGIMI:  
NIS, PRÆFATÆ FACVLTATIS ASSESSOR SE:  
NIOR, CODICIS PROF. PVBL. ORDINARIVS,  
CIVITATIS SYNDICVS ET CONSVL  
PRIMARIVS,

AD  
AVDIENDAM LECTIONEM  
CVRSORIAM

*Ad L. Impossibile 185. ff. de R. I.*

ET  
DISSERTATIONEM INAVGVRALEM  
*AD DIEM III. FEBVARIJ M DCC XLIV.*  
LECTOREM BENEVOLVM  
PERHVMANITER INVITAT.

E R F O R D I Æ,  
Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII,  
Acad. Typogr.



PERANTHOE UNIVERSITATIS ERORDIENSIS  
R E C T O R

ET  
FACULTATIS JURIDICÆ  
D E C A N U S

C O N R A D U S  
S T R E C K E R

EMMENTHEIM AC CLINICUM PRINCIPIS RE  
CTORIS ACADEMICI CONSULTARII REGII  
MAG. PRÆFATI FACULTATIS JURIDICÆ DE  
MAG. CODICIS PROB. PUBL. ORDINARIUS  
CIVITATIS ERORDIENSIS ET CONSUL  
TARIUS

AD  
A V D I E N D A M L E C T I O N E M  
C U R S O R I A M

ANNO 1714

D I S S E R T A T I O N E M I N A V G U S T A L E M

AD D. M. H. F. ERORDIENSIS M. DCC. XLIV

L E C T O R E M B E N E V O L U M  
P R O M O V E R E I N V I T A T

ERORDIENSIS  
TYPIS JOH. CHRISTOPH. HERRINGII  
Acad. Typogr.





**L**atissimum & vastissimum est objectum juris legalis, ad id reducitur, quicquid præcipi, prohiberi, aut permitti potest. Potest verò in genere prohiberi non tantum quod malum, sed etiam in quibusdam circumstantiis quod bonum est. Permitti potest, quod bonum, indifferens, aut malum est, si evitatio majoris mali tolerantiam minoris efflagitet. Præcipiuntur honesta & possibilia, ad impossibilia vero neminem obligari certum & indubium est. *Cap. 6. de R. J. in 6. L. 185. ff. eod.* Impossibile autem dicitur, cui natura, lex, aut factum impedimento est, sive quod natura fieri non concedit v. g. uno hippio mare exhaurire, expansis brachiis Orientem & Occidentem attingere, Lunam, Solem è firmamento deturbare. Sive quod Lex, Senatus aut Princeps improbat, cujus generis sunt, hominem occidere, plagium facere, Parentes è carcere aut hostibus non redimere, & omnia illa, quæ bonis moribus repugnant, pietatem, existimationem aut verecundiam nostram lædunt. *L. 15. ff. de condit. Inst.* Sive quod personæ qualitas, aut aliæ circumstantiæ ob magnam difficultatem fieri impedit, licet neque natura, neque lex obste, huc refertur si notorio pauperi imponatur, ut mille det pauperibus, aut artis ædificatoriæ plane ignaro injungatur, ut domum propriis manibus ædificet. Hujusmodi impossibilia potissimum primi & secundi generis, si in conditionem deducantur & contractibus, sententiis sive præceptis adjiciantur, nullum ponunt obligationis vinculum. Quando enim certum est, existere conditionem non posse, consequens est, nec obligationem exinde oriri posse, quæ ex ad-

jecta illa conditione dependet. Adeoque illa conditio im-  
possibilis contractus ita vitiat, ut nec naturalis obligatio ex  
tali contractu produci dicatur, nec fidejussor, si forte accesserit,  
obstrictus sit, neque referat, an contractus sit stricti juris,  
aut bonæ fidei. Adeoque nec stipulationes solum, verum  
alii quoque contractus, ut emptionis, locationis, societatis  
&c. apposta conditione impossibili inutiles sunt. *L. 31. ff. de O. & A.* In illis enim, quæ duorum pluriumve consensu  
absolvuntur, omnium voluntates spectari æquum est, nec  
non verosimile est contrahentium cura esse cogitationem,  
ut existiment nihil agi, conditione apposta, quam sciant esse  
impossibilem. De Matrimonio & Sponsalibus videamus  
utrum & illa conditione impossibili vel turpi adjecta vitientur,  
cum non nisi duorum consensu ineantur? Hæc ob Doctorum  
dissentium plurimum intricata questio antequam resolvatur,  
prænotandum venit, quod conditiones impossibiles  
distinguantur à modis impossibilibus, illas, non hos vitari  
contractus, sed rejici, juri consentaneum est. Deinde  
quod distinctio adhibenda sit inter conditionem solutivam  
& suspensivam, illa actus perfectionem non remoratur, sed  
perfectum resolvit. Hæc vero actus perfectionem suspendit.  
Nunc quoad ipsam questionem Canonum Interpretes  
solent distinguere, an conditio adversetur substantiæ  
matrimonii vel non: priore casu vitari, nullasque censeri  
nuptias, quia matrimonium aut verè non appetunt, aut  
sincere non intendunt, qui, quod ipsius naturæ repugnat,  
efficere nituntur: Posteriori casu matrimonium & sponsalia  
subsistere, ipsamque conditionem impossibilem pro non  
adjecta haberi, passim asserunt. Hoc itaque modo contractas  
Nuptias, si in cœlum ascenderis, si Cæsum globo trajeceris,  
fidem tibi do, subsistere ajunt, & conditionem rejici, quia  
in re tam gravi præsumptio juris adesset, quod aliquis ejus-  
modi conditionem impossibilem aut turpem magis ex joco  
& quoad sonum externum, quàm serio & quoad intentionem  
animi protulisset; quippe cum aliàs scienter matrimonii  
formam & materiam irritaret. Proinde matrimonium  
hoc in passu sequeretur naturam actuum ultimæ voluntatis,  
in

in quibus conditio impossibilis tanquam supervacanea rejiceretur §. 10. l. de hered. instit. Fundantque se in Cap. fin. X. de condit. appof. in quo à Gregorio IX. Pontifice maximo generaliter constitutum putant: adscriptas matrimonio impossibiles turpesque conditiones, si adversentur ejus substantiæ, irritas reddere nuptias, sin minus matrimonii favore pro non adjectis haberi. Verùm hæc sententia non paucis displicet, eamque hominis sanæ mentis judicio adversari, naturalique ratione contrariam esse censent. Cum constet absque consensu mutuo matrimonium contrahi non posse, is verò qui sub impossibili conditione, licet bono fidei, bono prolis, aut bono sacramenti non adversetur, contrahit, non censetur consentire, imo nec consentit L. 31. ff. de O. & A. Conditio enim impossibilis juxta communem usum loquendi potius videtur jocosè facta ad irrisionem, quàm seriò ad obligationem. Objiciunt, matrimonii favorem, hujusmodi conditiones pro non adjectis habendam esse, expostulare, & ne simplices puellæ decipiantur; Sanè ut matrimonium semel ritè & legitimè contractum conservetur indissolubile, quam maxime adnitendum est, hocque debent & solent leges favoribus promovere: Verùm ut statuamus matrimonium, ubi consensus mutuus & expressus deficit, ab omni ratione alienum esse videtur. Neque puellarum captio fingenda est, ubi verba aperte utriusque dissensum indicant, nihil inter partes jocantes actum esse quilibet intelligit. Quoad argumentum à testamentis desumptum, in quibus conditiones impossibiles rejiciuntur & pro non appofitis habentur, ratio disparitatis in promptu est. Nam si tam impudens testator fuerit, ut rem impossibilem aut legibus improbatam facere hæredi aut legatario jufferit; in odium ejus impudentiæ & favore illius non consentientis, cui talem conditionem adscripsit, conditio prorsus pro non scripta erit. Accedit, quod testamenta unius duntaxat voluntate consent; matrimonia autem non aliter, quàm duorum consensu, ut etiam merito communi contractuum regulæ subjacere debeant. Putant nonnulli, jus fingere consensum adesse, sed

ni re tam aperta fictioni locus esse non potest, nec debet, potius si verum fateamur, ejusmodi condiciones adjectives se nuptiis consentire nolle, clarè demonstrant. Nec obstat GREGORII IX. constitutio in d. Cap. fin. Siquidem quod ibi decisum, in modis, non in conditionibus, vel potius in conditionibus solutivis, quàm suspensivis accipiendum est, idque ex ipsis, quas refert speciebus ad oculum patet. Enarrat Prælaudatus GREGORIUS has condiciones, si generationem proles evites, donec te digniorem invenero, si pro quaestu adulterandam te tradideris, matrimonii contractum vitare. At hos modos esse, aut resolutivas matrimonii condiciones, nemo negabit: matrimonium enim non præcedunt, sed sequuntur; Prolem namque evitare, & adulterandam se præbere nulla potest, nisi nupta sit, & qui dicit: donec te digniorem invenero, jam post nuptias se reperire velle indicat. Suspensivæ autem conditionis ea est indoles, actum non sequi, sed præcedere. Porro si quis ita formam fidem dederit, ut homicidium committat. aut ut solem ex astris trahat: hic modus, quia post matrimonium impleri debet, pro non adjecto habetur, nec propterea datur facultas discedendi à matrimonio, eo quod talis modus non sit adimpletus. Hoc sensu GREGORIUS subdit, alias condiciones matrimonio appositas, si turpes aut impossibiles sint, propter favorem matrimonii pro non adjectis reputari; Cum enim in priorè orationis parte de modo aut resolutiva conditione locutus fuerit, posterior ad similia referenda est. In matrimonii enim causâ solutiva conditio odii plurimum habet, ne dicam impossibilitatem. Neque hic novum videri debet, conditionis verbum pro modo positum esse, vid. L. 2. §. fin. ff. de donat. L. 44. de manumiss. test. L. 9. §. i. de condit. & demonstr. L. fin. §. fin. C. de bon. qua lib. conf. Cap. I. X. de cond. appof. XXVII, q. 2. Can. 8. Præterea illa decretalis, uti jam supra dictum, est GREGORII IX. cujus canones evidenter sapiunt phrasin Jurisconsultorum, qui vocem conditionis, ut ex allegatis LL. patet, pro modo sibi utunt, vid. COVARRAV. tom. 1. p. 2 §. 2. n. 137. Plura de conditionibus in possibilibus aliisque conditionum speciebus deducere super-  
secedo,



fedeo, cum de hac materia occasione *L. Impossibitum* 187. ff.  
de R. I. publicè ex cathedra fusius discurret

NOBILIS ET CLARISSIMVS

Dn. CAROLVS GODEFRIDVS  
KISSLING,

Natus is Zittaviæ, celebris Lusatiæ superioris civitatis die  
XXV. Augusti anno MDCCXVII. Patre viro Pranobili &  
Consultissimo Domino GODEFRIDO KISSLING J. U. D. &  
urbis patriæ Prætorè meritisimo. Matre omnibus virtuti-  
bus muliebris sexûs conspicua CHRISTIANA ELEONORA ex  
familia Herzogianâ istius loci fulgentissimâ. Hi sui dilecti  
parentes ab ineunte sumptibus, ut filius scientiis & artibus  
nullisque pepercere sumptibus, ut filius scientiis & artibus  
iis imbueretur, quæ eidem suo tempore & præsidio & or-  
namento essent. Hinc quoad studia, quæ vocant, huma-  
niora imbibenda eundem Dn. M. FRIDERICO GOTILOE  
HERZOGIO, nunc Diacono ad ædes SS. Petri & Pauli Pri-  
mario, necnon Dn. M. JOANNI GODEFRIDO KEYLIO, mo-  
do Diacono urbis Hirschfelde, ut & Dn. M. IMMANVELI  
AVGVSTO WENZELIO, Diacono ad dictas SS. Petri & Pauli  
ædes secundario crediderunt, qui privatâ operâ eum ita in-  
struxerunt, ut ad publicum Gymnasium Zittaviense fuerit  
receptus, in quo præclarissimos Præceptores Dn. GODEFRI-  
DVM POLYCARPVM MÜLLERVM, t. e. Rectorem, Dn. SAMVE-  
LEM FRIDERICVM BVCHERVM, Con-Rectorem, Dn. JOAN-  
NEM DAVID STRAVPITVM, Sub-Rectorem, Dn. M. CHRISTI-  
ANVM PESCHECKIVM, Collegam tunc temporis ulti-  
mum, habuit, & tantos in cultioribus studiis profectus fecit,  
ut anno MDCCXXXVI. ad studia Academica Vittenber-  
gam fuerit missus, ubi à Rectore Universitatis Magnifico,  
Dn. VATERO, Studioforum matriculæ insertus Clarissimos  
& Consultissimos Dn. D. CHRISTIANVM SPECHTIVM in  
Logicis & Institutionibus, D. CHRISTOPHORVM LYDOVI-  
CVM CRELLIVM in Institutis, jure naturæ, Logicis, & jure  
Criminali, D. AVGVSTINVM à LEYSER in Pandectis, jure  
Canonico & Feudali, D. JOANNEM GODEFRIDVM KRAY-  
SIVM

SIVM in Processualibus, tandem D. FRIDERICVM BENEDI-  
CTVM CARPZOVIUM in practicis non interrupto studio au-  
divit; Anno MDCCXXXVII. Mens. Febr. Præside præfato  
Dn. D. SPECTIO de muneribus, quæ propter diem natalem  
Salvatoris nostri dari solent, vom Heili. en. Christi. Geschenk,  
specimen Academicum edidit, & sic triennio absoluto anno  
MDCCXXXIX. Examen, quod vocant, pro praxi subiit.  
Domum reversus per speciale Augustissimi Principis Rescrip-  
tum anno MDCCXL. in practicorum numerum, edito  
consueto specimine & præfatis juramento, relatus & Privi-  
legia Advocati Curiarum Provincialium Superioris Lusatiae  
impetravit, quo Advocatorum munere huc usque fidelissimè  
functus est. Tandem nos accessit & ad consuetum rigorosum  
examen Dominorum Candidatorum ab Ordine nostro admit-  
ti decenter petiit. Prævia erudita explicatione textuum ex  
utroque jure communicatorum admissus, & talem se exhibuit,  
ut unanimi consensu ad ulteriora specimina perquam habilis  
& Suprema Doctoratus laurea dignissimus judicatus fuerit.  
Proinde proxima die 3. Febr. lectionem cursoriam ad rubri-  
catam legem, & eâ finitâ, dissertationem inauralem.

DE  
OBSERVATIONIBVS QVIBVSDAM  
FORENSIBVS

CIRCA  
RESIGNATIONEM NOMINIS,

Aussündigung des Capitals,  
horis consuetis hæbebit. Quibus actibus, ut Dnn. Proceres  
& Cives Academici frequentes interesse velint, officiose ro-  
gantur, amicè invitantur. Publ. sub Sigill. Facult. Jurid. d.  
2. Febr. MDCCXLIV.




ERfurt, Diss., 1742/44


ULB Halle  
005 355 400

3



W078





1744.4  
25  
PER ANTIQVÆ VNIVERSITATIS ERFORDIENSIS  
R E C T O R

ET  
FACVLTATIS IVRIDICÆ  
D E C A N V S,  
CONR. WILHELMVS  
STRECKER, JCTVS,

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS ELE:  
CTORIS MOGVNTINI CONSILIARIVS REGIMI:  
NIS, PRÆFATÆ FACVLTATIS ASSESSOR SE:  
NIOR, CODICIS PROF. PVBL. ORDINARIVS,  
CIVITATIS SYNDICVS ET CONSVL  
PRIMARIVS,

AD  
AVDIENDAM LECTIONEM  
CVRSORIAM

*Ad L. Impossibile 185. ff. de R. I.*

ET  
DISSERTATIONEM INAVGVRALEM  
AD DIEM III. FEBVARIJ M DCC XLIV.

LECTOREM BENEVOLVM  
PERHVMANITER INVITAT.

ERFORDIÆ,  
Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII,  
Acad. Typogr.

